



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii  
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,  
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,  
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1740**

Titulus XL. De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

nihilominus alia Ecclesiae ad ejus sustentationem concurrere debeant. c. 11. de Prescript.

26 Visitationes Ecclesiarum Episcopi non pro suo libitu instituere possunt, sed tantum semel in anno, nisi causa specialis pluries visitationem fieri exposcat, & tunc prima & secunda vice poterit procuraciones exigere cap. 21. h. t. non autem ulteriores, licet saepius visitet. Barbof. J. E. V. lib. 3. cap. 22. num. 11. Archi-Episcopis non aliter Diceceses suae Provinciae visitare permittitur, quam causa cognita, & probata in Concilio Provinciali. Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 3. Poenae in Episcopos ultra moderatas procuraciones aliquid exigentes, aut sponte etiam recipientes leguntur in cap. 2. h. t. in 6. Concil. Trid. loc. cit.

Qualiter denique visitationes istae 27 post Tridentinum hodie quotannis instituendae, & singulis saltem bienniis per totam Dicecesin, vel per Episcopos, vel per Vicarios Generales complendae sint, ne Pastoribus dormientibus Zizania superseminet inimicus homo. Item quo comitatu, aliorumque sumptuum moderatione, quae insuper in istis visitationibus inquirendae sint, late declarat Concil. Trid. cit. loc. & fuse tradit Piafecius in Prax. Episc. part. 2. cap. 3. Zypæus in Analys. J. P. ad h. t. num. 4. Zerola part. 1. V. Visitatio. Begnudellius Ballus in Biblioth. Jur. Canon. Civil. tom. 4. V. Visitatio §. 4. per tot. Pignatell. tom. 9. Consult. 196. qui hanc materiam per extensum & latissime excutit.

## TITULUS XL.

### De Consecratione Ecclesiae, vel Altaris.

**A**D Liturgica jam transit Decretalium Compiler, & inter illa primo loco Ecclesiarum, sive templorum Majestatem, & Sanctitatem, quae ipsis ex solenni inauguratione, & consecratione accedit, considerandam proponit. Nos duobus §§. ad hanc materiam exegeticas nostras reflexiones dabimus.

#### §. I.

Quando coeperint Ecclesiae consecrari? Quomodo, & quo tempore, & quoties Ecclesiae, vel Altaria consecranda sint?

#### SUMMARIA.

1. Mos consecrandi solemniter Ecclesias Saeculo IV. coepit. Qui originem suam debet institutioni Christi, & traditioni Apostolicae, quod ab heterodoxis im-

pugnatur. 3. Sed contrariis Argumentis vindicatur. 4. Non tamen primis seculis tam augusta templa, ut hodie videntur. 5. Nihilominus ritus consecrationis hodiernus ex traditione Apostolica fuit. 6. Heterodoxos in erroneo supposito versari ostenditur. 7. Quis consecrationis minister, & quæ ejus forma, & quo tempore faciendæ? 8. Etiam Altaribus peculiaris consecratio adhibetur, & quo tempore cæperit? 9. Ex qua materia olim, & nunc construuntur? 10. Minister consecrationis Altaris idem, qui est Ecclesiæ. 11. Consecratio non præsumitur, sed probari debet, non tamen cum exacta probatione. 12. Clariss. P. Benedictus Schmier à calumniis Bœhmieri vindicatur. 13. Iteratio consecrationis non est licita, nisi Ecclesiæ penitus fuerit destructa. 14. Quando Altaria nova indigeant consecratione?

**R**itum inaugurandi, & consecrandi Ecclesias antiquissimum esse, nemo, quod sciam, etiam inter Heterodoxos inficiatur. Hunc ritum jam ab ineunte Sæculo IV. obtinuisse, ubi pacatis Ecclesiæ rebus magnifica extruendi templa Christianis venia facta est, testes sunt omni exceptione majores S. Athanasius *Apolog. ad Constantin. Imperat.* Eusebius Cæsariensis lib. 10. *Histor. Eccles. cap. 3.* & lib. 4. de *Vita Constantini cap. 43.* S. Ambrosius *Epist. 4. alias 5. vel 60. ad Felicem.* Unde scribit Francisc. Pouget in *Instit. Fidei Cathol. tom. 2. sect. 2. cap. 8. §. 7.* Mos ille consecrandarum Ecclesiarum, nemine, quod sciamus, instituente, nemine contradicente, obtinuit per totum orbem, ubi primum per Imperatores, & Principes facta Christianis potestas est templa ædificandi.

**2** Num vero mos iste ex traditione Apostolica promanaverit, ipsumque Christum institutorem reveretur, inter nos, & heterodoxos non convenit, Ex nostris, qui morem inaugurandi Ecclesias ad Apostolorum tempora referunt, præcipue nominari merentur Durantus de *Ritib. Eccles. lib. 1. cap. 24. num. 1.* & Card. Bona *Rerum Lytur-*

*gic. lib. 1. cap. 20. num. 3.* qui posterior sic scribit, templorum consecratio è veteri testamento ad novum ab Apostolis ad Successores emanavit. Sed uterque audaciæ insimulatur à Josepho Bingham de *antiquit. Eccles. vol. 3. lib. 8. cap. 9. §. 1.* eo quod assertum suum, haud meliori fundamento suffulciant, quam ex Epistola 2. Clementis ad Jacobum fratrem Domini, item ex Epistola Evaristi, & Hygini, quas tamen Epistolas etiam ex nostris melioris notæ scriptores pro apocryphis habent. Eadem censura, sed stilo nonnihil crassiore, vapulat à Rodolpho Hospiniano de *Origin. templ. lib. 4. cap. 2.* ubi inquit: Sed quia Romanistis hoc semper curæ fuit imprimis, ut suas leges, instituta, ritus, & consuetudines, adeoque cultum suum externum totum, quoad ejus fieri posset, antiquitatis auctoritate, vel potius fucò commenderent, redderentque augustiorem, effectum est, ut à prisca vetustate sepe auctores accersant, quibus nihil unquam simile ne in mentem quidem venit. Sed quoscunque jactent auctores, dum alios, quam Christum, aut Prophetas, & Apostolos producant, satis declarant, quò loco habendæ sint humanæ ista traditio-

nes, quibus DEUS irridetur, non colitur. Nec mitius de hoc Ritu consecrationis sentiunt Zieglerus, & Thomafius in *Not. ad Instit. Lancellot. lib. 2. tit. 18. num. 607.* nec non Bœhmerus ad *b.t. §. 12.* qui ad superstitiosum cultum eundem referunt, corruptisque jam tum Ecclesiae moribus adscribunt. In lege quidem veteri non negant, ritum hunc ex præcepto DEI fuisse observatum, sed ex hoc non sequi, ajunt, quod idem ritus in lege gratiae per Christum fuerit innovatus, siquidem jam non amplius in umbris, Schematibus, & Ceremoniis, quibus judaica sacra constabant, sed in spiritu & veritate, asserta per Christum ab ejusmodi cultus Levitici jugo libertate, verus DEUS à Christianis adoratur. Quapropter primi Christiani (ait Bœhmerus *hic §. 7.* per prima duo saecula, hanc libertatem strenue conservabant, nec templa habebant, sed quilibet locus ad sacra peragenda sine consecratione ipsis aptus videbatur. Hac utinam tam vere, quam prolixè per plures §§. Bœhmerus enarraret! Quæ nobis sedeant Sententia circa ritum consecrandi Ecclesias, ejusque originem, per distinctas Assertiones aperimus.

§ Dicimus igitur I. à temporibus Apostolorum certa loca fuisse DEO dicata, quæ à quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiae dicebantur, in quibus populus orare, verbum DEI audire, synaxin agere, & Corpus Christi sumere consueverat. Probatur I. ex *Epist. 1. Corinth. cap. 11.* ubi Paulus ita Corinthiis scribit: *Convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos, & paucis interjectis: Num-*

*quid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam DEI contemnitis?* ubi per Ecclesiam Paulus intelligit locum, in quo Corinthii convenire consueverant. Videatur S. Augustinus in *Levitic. quest. 57.* Probatur II. ex Nicephoro *lib. 2. cap. 3.* ubi narrat, Evodium Petri in Antiochena Cathedra successorem asserere, in domo illa, in qua Christus Sacrificium incruentum instituit, & in qua Spiritus S. advenit, tanquam in prima Christianorum Ecclesia Jacobum primum Hierosolymorum Episcopum consecratum fuisse, & septem Diaconos ordinatos. Romæ item ab Apostolis dedicatas Ecclesias eo ipso tempore, quo fidem Christi prædicare cœperunt, ostendit Baronius ad *Ann. Christi 57. n. 100.* Probatur III. ex Eusebio *Histor. Eccles. lib. 10. cap. 2.* ubi de Ecclesiis primorum Christianorum his verbis fidem facit: *quin etiam omnium nostrum mentes Divino quodam, & cœlesti gaudio triumpharunt, dum singula loca tyrannorum scelere, & impietate paulo ante diruta, tanquam post diurnam, & mortiferam vastitatem jam quodammodo reviviscere, & TEMPLA SOLO ÆQUATA ab ipsis fundamentis denuo ad immensam altitudinem erigi, & multo majore splendore, atque amplitudine, quam illa, quæ dudum everisa erant, illustrari videbamus.* Videatur etiam *lib. 8. cap. 2.* & Henricus Valesius in *Not. ad Eusebii lib. 6. cap. 43.* Addatur Beveregius in *Cod. Canon. lib. 2. cap. 8. num. 3.* Plura alia vetustissima monumenta, quæ huic Assertioni fidem faciant, collecta reperies apud Card. Bona *Rer. Lyturg. lib. 1. cap. 19. num. 1.*

Bbb

Di-

4 Dicimus II. Primis Ecclesiae saeculis non fuisse *templa* Christianis, in quantum per *templa* intelliguntur augustiora aedificia rei Divinae peragenda aptata. Et hoc duplici ex capite intermissum fuit, tum quod saevissima illa tempora, in quibus Ecclesia crebrioribus Ethnicorum Principum persecutionibus exagitabatur, libertatem extruendi grandiora sacra Christianis haud indulgebant; tum ne viderentur hoc pacto facere cum Gentilibus, qui *templa* sublimibus elata fastigiis excitabant, stolidi illa opinione persuasi, Divinitatem his aedibus concludi: unde, dum Christianis itendidem exprobrarent Gentiles, ipsorum sectam esse irreligiosam, & quae nullum coleret DEUM, eo quod ipsis nulla essent *templa*, omnes animose responderunt, nulla Christianis esse *templa*, qualia apud Gentes essent, nullas habere aras ad ostentationem, nullas immolare victimas, neque thus adolere, DEUM quippe his non indigere, sed, cum is caelum, terramque repleat, quocumque in loco, qui mundo sunt corde, eidem honorem, & gloriam deferre. Videatur Arnobius *lib. 6. contra Gentes*. Minutius Felix in *Octavio Lactantius lib. 6. Divin. instit. cap. 2*. Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromat.* Origenes *lib. 8. contra Celsum*. Videantur *Acta Martyrii S. Iustini & sociorum ejus, atque Acta S. Seraphica*. Consulantur etiam Edmundus Martene *de antiqu. Eccles. Ritib. tom. 3. lib. 4. cap. 2. §. 2.* & Ludovicus du Mesnil *de Doctrin. & disciplin. Eccles. tom. 1. lib. 5. §. 63.* Card. Bona *cit. cap. num. 2.*

Dicimus III. Consecrationem Ecclesiarum quoad se, & substantiam suam ex *traditione Apostolica* ad nostra usque tempora promanare. Ita praeter laudatum Card. Bona affirmant Martene *de antiquis Eccles. Ritib. tom. 2. lib. 2. cap. 13. pag. 770. B. §. 773. A. Franc. Pagius in Breviar. Histor. Chronolog. Crit. in Vit. S. Evaristi*. Non probamus hoc assertum ex Epistolis Clementis, Evaristi, & Hygini, quas nos aequae, ac heterodoxi pro authenticis eorum scriptis non recipimus, Sed tanquam apocrypha, & supposititia rejicimus. Vid. Pagium in *Vita S. Evaristi, & Hygini*. & Petrum Anatum in *Apparat. ad positiv. Theolog. lib. 4. art. 6. num. 2.* Sed probamus ex universali totius Orientis, & Occidentis consensu, & perpetuo usu & praxi Ecclesiae, quod irrefragabile argumentum nobis suggerit, credendi, consecrationis solennia ex Apostolico instituto profluere, nam, ut ait S. Augustinus *de Baptis. contra Donatist. lib. 4. num. 31.* quod *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Et hoc argumentum tam stringens esse Beveregius, Scriptor haereticus, in *d. Cod. Canon. primit. Eccles. lib. 2. cap. 2. num. 1.* agnovit, ut in Commentario ad *Canonem I. Apostolorum*, ubi jubetur Episcopus a duobus, tribusve Episcopis ordinari, scribere non sit veritus, hunc ritum consecrandi Episcopos ex Apostolica institutione promanasse, si tale enim officium, inquit, *ab ipsis Apostolis non institutum fuisset, non dico incredibile, sed & impossibile prorsus*

sus esset, ut ipsis Apostolis adhuc superstitibus, vel proxime saltem post eorum mortem omnibus terrarum locis exerceretur, quibus Religio Christiana suscepta est, idque licet nullum extaret Ecclesiasticum decretum, quo illud introductum fuit, vel etiam introduci potuit, si ipsius Christi, ac Apostolorum ejus institutioni adversaretur. Dixi ab initio hujus Assertionis Consecrationem Ecclesiarum (idem dic de Altaribus) quoad se & substantiam suam sua primordia ex instituto Apostolico ducere, nam non negamus, successu temporis novos subinde ritus simplici illi, & ab Apostolis usitata templorum inaugurationi accessisse. Uti de SS. Martyrum Reliquiis in Altari consecrando includendis ostendit Card. Bona d. lib. cap. 19. num. 5. & aliis quoque ritibus Van-Espen J. E. V. part. 2. tit. 16. cap. 3. num. 11. & seqq. Barbof. J. E. V. lib. 2. cap. 2. num. 27.

6 Heterodoxi DD. quos supra laudavimus, versantur in erroneo supposito, quasi ritus iste consecrandi, Hebrææ genti in lege veteri præscriptus, Christianam libertatem dedecet. Cessaverint licet umbræ figurarum per adventum servatoris & libertatis assertoris, ex hoc tamen non sequitur, quod etiam cessare debuerit ritus colendi DEUM in umbris & ideis olim exhibitus. Sunt ritus & ceremoniæ in Ecclesia oppido Salutares, quippe quæ signa sunt simul & incitamenta veri, & interni cultus animi, qui fide & charitate constat, & in quo recta omnis Religio constituitur. Nam, ut ait S. Thomas 2. 2. Q. 102. art. 4. C. totus exterior cultus DEI ad hoc precipue ordinatur, ut homines DEUM in reve-

rentia habeant. Habet autem hoc humanus affectus, ut ea, quæ communia sunt, & non distincta ab aliis, minus reverentur; ea vero, quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur, & reverentur. Recte subinde scripsit noster P. Augustinus Calmet Dissert. de templis veterum, nulla apud homines Religio subsistere unquam potest, sine cultu aliquo sensibili, exteriarumque Ceremoniarum ritu, cujus exercitio, veluti tessera quadam, veræ Religionis cultores inter se convenientes ab exteris discernantur. Quod S. Augustinus contra Faustum lib. 19. cap. 11. his verbis confirmat: in nullum autem nomen Religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Non ergo judaizamus, nec cultum veri DEI superstitionibus inquinamus (ut hæretici calumniantur) quando ritus & ceremonias, quas in dedicandis & consecrandis templis adhibuerunt Hebræi, in nostris quoque Ecclesiis adhibemus, siquidem iste exterior cultus non est figuralis, & umbraticus, sub quo respectu procul dubio ad veterem duntaxat legem pertinet, sed est commemorativus Christi jam præsentis, qui est via ducens ad Divinam veritatem in patria revelandam, ut inquit S. Thomas 2. 2. Q. 101. art. 2. C. unde S. Dionysius de cælest. Hierarch. cap. 1. scripsit, oportet, quod radius Divine veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris, aliter tamen in lege

veteri, aliter in lege nova, ibi in umbra, hic in imagine juxta illud Apostoli ad Hebr. 10. *Umbram habens Lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum.* Quæ verba ita exponit S. D. l. cit. *umbra minus est, quam imago, tanquam imago pertinet ad novam Legem, umbra vero ad veterem.*

7 Antequam ad Ecclesiæ consecrationem procedatur, illa ex integro ædificata, & sufficienter dotata sit, oportet, cap. 8. b. t. Pax Jordan tom. 1. lib. 5. tit. 9. num. 14. quoad ejus formam id observetur I. ut ab aliis ædibus, & parietibus profanis sit separata. II. In formam navis composita. III. Si commode fieri possit, Altare habeat ad Orientem collocatum, januam vero versus occidentem apertam. V. Bellarmin. de cult. SS. lib. 4. cap. 3. Munus consecrationis ad Episcopum spectat, & quidem *Diœcesanum* cap. 2. b. t. nec inferiori delegari potest, bene vero alteri Episcopo cap. 9. eod. Quamvis vero consecratio omni die tam festiva, quam feriata peragi valeat cap. 2. b. t. convenientius tamen est, ut die Dominica, vel alio solenniori festo, & quidem tempore matutino juxta Pontificale Romanum instituat. Pax Jordan ubi supra num. 11. & 13. Barbof. J. E. V. part. 2. lib. 2. cap. 2. num. 39. Præterea hæc Basilicarum consecratio cum Missa fieri jubetur in cap. 3. & 24. de consecrat. dist. 1. & quidem ab Episcopo consecrante, ejus tamen ommissio æctum non vitiat. Barbof. d. loc. n. 37. Pax Jordan num. 27. Ritus, qui in consecratione Ecclesiæ adhiberi debent, reperiuntur in Rituali, sive Pontificali, Romano, quos compendio refert Gonzalez ad cap. 1. b. t. n. 13. My-

sticum eorum sensum exponunt Martene de antiq. Eccles. Ritib. tom. 2. lib. 2. cap. 13. Pouget cit. cap. 8. §. 8.

Præter Ecclesias etiam Altaribus, in quibus incruentum Corporis, & Sanguinis Christi Sacrificium offertur, sua quoque peculiaris est consecratio. Ritus hunc esse in Ecclesia antiquissimum fatentur orthodoxi omnes. Josephus Bingham de antiquit. Eccles. vol. 3. lib. 8. cap. 9. §. 10. ejus initia ad Sæculum VI. refert, eo quod in Concilio Agathensi, Anno 606. & Epao-nensi Anno 517. habito primitus constituerint PP. ut Altaria lapidea infusione chrysmatis sacrentur. Boehmerus ad b. t. §. 51. simpliciter negat, Altaria in primitiva Ecclesia extitisse, sed si quæ hujus vocabuli apud veteres mentio occurrat, illam duntaxat in sensu mystico & metaphorico exaudiendam esse, quatenus nempe Altare idem denotat, ac sacram mensam ad usum sacræ Cœnæ præparatam. Quæstionem hanc nos credimus esse de nomine, nam & mensas appellari Altaria admittere possumus, dum utrobique incruentum Sacrificium offerri non negemus. Sed quia Boehmerus secundum suæ Sectæ principia negat dari in Ecclesia Sacrificium proprie dictum, ideo non potest non negare Altare quoque proprie tale dari. Sed relinquamus hanc aram ignoto DEO sacram, quem protestantes extra Ecclesiam inutiliter colunt, salubrius & sapientius (si cum Augustino lib. 1. contra Cresconium cap. 29. saperent) in Ecclesia eundem culturi.

Altaria primis Ecclesiæ sæculis vel erant lignea, vel lapidea, à Constantino M. & Sixto III. etiam argentea facta

ita fuisse refert Card. Bona *rev. Liturg. lib. 1. cap. 20. num. 1.* Postea ex Lege Ecclesiæ constitutum est, ut non nisi in Altari lapideo, eoque consecrato Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebretur. Rationes Mysticas, & morales explicat Pax Jordan *cit. lib. 5. tit. 10. num. 9. § 2. seqq.* Et hoc Altare vel est fixum sive loco adharens, vel Portatile, quod de loco in locum moveri potest, & quo iter agentes uti possunt.

10 Minister consecrationis Altarium idem est, qui Ecclesiæ, sive templi, nempe Episcopus, isque Ordinarius, *cap. 4. dist. 68. cap. 25. de Consecrat. dist. 1. cap. 3. § 9. h. t.* Pax Jordan *d. l. num. 15.* Clericat. *de Sacrific. Miss. Decis. 13. num. 17.* qua facultate etiam pollent Abbates Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, & qui ejusdem privilegia participant, saltem pro Ecclesiis sui Ordinis ex Concessione Pii IV. 1565. 6. Junii, sed de hoc Privilegio latius agentem consule Clericatum *d. decis. num. 18. § seqq.*

11 Quoniam res facti non præsumuntur, sed probari debent, ideo consecratio tam Ecclesiarum, quam Altarium, cum quid facti sit, probari debet. *cap. 16. de Consecrat. dist. 1.* Et si non appareat, ex sufficientibus indiciis, eam fuisse consecratam, denuo consecrari debet. *cit. cap. 16.* admittuntur tamen hic leviores etiam probationes, cum de nullius præjudicio agatur. Tales probationes ex inscriptionibus, & insignibus in parietibus, vel alibi incisis, ex libris, & scripturis Ecclesiæ de hoc attestantibus, ex depositione unius testis, etiam omni exceptione non majoris, ex communi

fama erui possunt. V. Pax Jordan *cit. lib. tit. 9. num. 48. § seqq.* Mascard. *de Probat. Conclus. 415. § Conclus. 753.* Clericat. *de Sacrific. Miss. Decis. 41. num. 38.*

Inter alia, quæ Bœhmerus ad elevandam fidem consecrationis Ecclesiarum nostrarum conglomerat, etiam de virtute & efficacia consecrationis in *§. 43. h. t.* dicere instituit, ac ibidem Clariss. P. Benedictum Schmier SS. Canonum antehac in hac Alma Universitate Professore carpit, & impudentiæ, ac negligentiam redarguit. Ut virum hunc de re litteraria optime meritum ab hac injuria vindicarem, & titulo gratitudinis adversus eum, utpote meum olim Professore & veritatis amore me obstrictum esse existimavi. Clariss. Author hic in *Tract. de SS. Eccles. part. 1. dissert. 3. art. 2. n. 18.* ita heterodoxis consecrationem Ecclesiarum nostrarum exhibentibus occurrit: *Si adversarios responsum petere non pudeat, examinandi & interrogandi sunt, utrum Titulus de SS. Ecclesiis inveniatur in Codice, nec ne? Si invenitur, an forte sit expungendus, & Titulus de stabulis in locum expuncti subrogandus? Quare non etiam ipsum cœlum ad equalitatem cum cæteris locis deprimunt? Principis terreni palatium supra vulgaria loca & tecta venerantur, atque extollunt, & templa DEI Omnipotentis cum casis, & tuguriis exæquata volunt. Quanta impudentia, & cecitatis miseria! Quid ad hæc verba Bœhmerus? En ita cum P. Schmierio exoptulat: Iratus suit homo, dum hæc scriberet, & per ipsam iram & impudentiam occæcatus. Argumentum, quo utitur, nos ferire videtur, sed insignem*



ignorantiam Elenchi committit. Non in  
*Questione est, annon veneratio aliqua  
 loco debeat, ideo, quod usibus sacris  
 destinata sit, ut interim, dum his usibus  
 destinata est, aliis usibus profanis abs-  
 que violatione decori adhiberi nequeat.*  
 Id etiam fatentur protestantes, & eo re-  
 spectu insignem differentiam constituunt  
 inter *STABILUM, & ECCLESIAM,*  
 quam *SCHMIERIUS* animadvertere  
 non potuit, quia protestantium scripta  
 haud evoluit, vel, si evoluit, dissimula-  
 re veritatem maluit, quam sincere age-  
 re. Videamus jam, an non hæc cor-  
 reptione magis feriat *Boehmerum,* quam  
*Schmierium.* Hic, quod protestantes  
 omnem consecrationem Ecclesiarum,  
 abominentur, ritumque hunc *supersti-*  
*tionem* deputent, infert, ipsos inter Ec-  
*clesiam, & stabulum* vix facere discrim-  
 men. An temere, & cum ignorantia  
 Elenchi hæc scripsit? Admittunt pro-  
 testantes, ut ex verbis *Boehmeri* elue-  
 eet, Ecclesiis Religionem & cultum  
 deberi, dum interim usibus sacris fue-  
 rint destinata, sed hunc usum non  
 esse perpetuum, hoc ipso, quod nul-  
 lam velint consecrationem superaddi,  
 per quam ab usu communi & profano  
 perpetuo eximantur, sed illam Sancti-  
 tatem, & separationem ab usu com-  
 muni & profano (ut verbis *Ziegleri*  
*ad Lancelloti instit. lib. 2. tit. 18. §. 12.*  
*utar*) esse respectu Ecclesiarum tan-  
 tum *externam & ceremonialem.* Hac  
 ergo deputatione sublata, usque sa-  
 cro cessante quid vetat *Ecclesias* cum  
*stabulis* parificari, cum nullo negotio  
 hæc in illas, illæque in ista ex sola Ma-  
 gistratus auctoritate commigrare, &  
 converti possint, tam fordidam meta-  
 morphosin nostræ Ecclesiæ per con-

secrationem semel sanctificatæ non  
 ferunt. Sed enim contra *Schmierium*  
 sic instat *Boehmerus*: id queritur, an  
 Ecclesiæ *INTERNA SANCTITATE,* vel  
*SUPERSTITIOSA* polleant, ut *SANC-*  
*TIFICANDI VIM, VIRTUTEMQUE*  
 habeant, & templum ita consecratum  
*DIVINA* quadam *VIRTUTE, DIVINA*  
*EFFICACIA* præditum existimari de-  
 beat? Jam respondeat *SCHMIERIUS.*  
*Verum tacet, & nequidem effectum*  
*CONSECRATIONIS* ex mente sua Ec-  
 clesiæ tangit, aut explicat, quod insi-  
 gnam negligentiam involvit. Hanc  
*VIM DIVINAM,* quam *UNCTIO* Ec-  
 clesiis, Altaribusque tribuere creditur;  
 hanc *DIVINAM VIRTUTEM INTER-*  
*NAM,* quæ consecratis lapidibus inesse  
 creditur ex virtute *OLEI, CHRYSMA-*  
*TIS, AQUÆ BENEDICTÆ, & CAR-*  
*MINUM CONSUETORUM,* ignora-  
 mus, negamus, & ad *superstitionem*  
 referimus, nec *CHARACTEREM* quen-  
 dam *INDELEBILEM* rebus consecratis  
 inesse credimus. Quod Ecclesiæ inter-  
 na Sanctitate polleant, sanctificandi  
 vim, virtutemque habeant, quod tem-  
 plum *Divina* quadam virtute, & effi-  
 cacia sit præditum, quod unctio Ec-  
 clesiis, Altaribusque vim *Divinam,* &  
 virtutem internam tribuat, aut chara-  
 cterem indelebilem imprimat, id pro-  
 testantes non credunt, & Catholici nun-  
 quam somniant. Consecratio, quæ  
 Ecclesias nostras, & Altaria iniciamus,  
*Divinam,* eamque internam virtutem,  
 ac vim sanctificandi lapidibus non tri-  
 buit, sed duntaxat usibus profanis per-  
 petuo eximit, & ex loci Sanctitate fide-  
 les admonet sui officii, quo *Divina* in  
 Ecclesiis cum summa devotionis puri-  
 tate peragant. Hæc est summa doctri-  
 na

næ orthodoxæ de consecratione Ecclesiarum & Altarium. Audiatur S. Thomas part. 3. Q. 83. art. 3. ad 3. Ecclesia, & Altare, inquit, & alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sunt gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur virtutem, per quam apta redduntur Divino cultui, ut scilicet homines devotionem quandam exinde percipiant, ut sint paratiores ad Divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde & 2. Mach. 3. dicitur: **VERE DEI VIRTUS QUÆDAM EST IN LOCO, NAM IPSE, QUI HABET IN COELIS HABITATIONEM, VISITATOR, ET ADJUTOR EST LOCI ILLIUS.** Ubi ergo vis illa sanctificandi, & virtus Divina interna, & character ille indelebilis in muris, & parietibus Ecclesiæ receptus? Jam respondeat Bœhmerus. Verum taceat, & nequidem effectum consecrationis ex mente nostræ Ecclesiæ tangit, aut explicat, quod insignem negligentiam involvit. Adhuc unum Bœhmerus opponit Schmierio. Titulus de SS. Ecclesiis, inquit, lippis & tonsoribus notus est, sed parum hæc appellatio facit pro Sententia SCHMIERII, ad minimum intuitu protestantium, tum quod JUSTINIANI auctoritas in rebus HUFUS FARINÆ nihil evincat, cujus tempore abusibus & superstitione infecta erat Ecclesia, tum quod à DICI ad ESSE non valeat consequentia. Quid est hoc? Justiniani auctoritas in rebus ad sacra spectantibus nihil evincat? Quid tibi solennius Bœhmerus, quid antiquius, quam Principi politico jus Sacrorum, asserere, ad quod procul dubio pertinet consecrationis Ecclesiarum vel admittendæ, vel reprobandæ, supremum

arbitrium. Sed ais, illo tempore abusibus, & superstitione infecta erat ecclesia: ergo vel maxime tum opus erat inspectione Imperatoris, cui vel ex hoc etiam capite jus Sacrorum tribuis, ut abusibus in cultu sacro ejus auctoritate occurratur: aut fortasse dicis, Justinianum iisdem abusibus, & superstitionibus contaminatum fuisse. Sed hoc pacto rursus tibi contradicis. Scripsisti ad tit. de Regular. §. 61. longe aliter de Justiniano, commendasti ibidem Zelum ejus, & sollicitudinem, quam pro rebus sacris virtute Summi Imperii, & legislatoria potestate potenter exercuit. Ecce sic tela, quæ in Schmierium inconsulto calore evibrasti, in teipsum recidunt. Cautior subinde posthac esto, ne inermis cum armato congrediaris.

Quæres, an Ecclesia semel rite consecrata iterum consecrari valeat? Resp. quamdiu eadem manet Ecclesia, consecrationem reiterari non posse. Est Textus in cap. 20. de Consecr. dist. 1. ubi quoad effectum irreiterabilitatis cum baptismo parvulorum consecratio Ecclesiarum parificatur. Pax Jordan cit. tit. 9. num. 62. cum pluribus aliis. Quodsi vero Ecclesia aut tota, aut pro majori sui parte destruat v.g. incendio, casmate, aut ex simili accidenti, cum eo casu amittat formam suam, tunc, si rursus reedificetur, etiam ex iisdem lapidibus, de novo consecranda erit cap. 24. de Consecrat. dist. 1. Panormit. ad cap. 4. h. t. n. 8. sin manentibus iisdem parietibus solum tectum corruat, aut destruat, nova consecratione haud opus erit cap. 6. h. t. Pax Jordan d. tit. num. 72. Quod etiam obtinet, si Ecclesia pee  
par-

partes destruat, & successive reparatur *arg. l. 24. §. fin. ff. de Legat. 1.* ubi dicitur, navem eandem censeri, tametsi per partes successive reparata fuerit. Pax Jordan *d. l. num. 73.* Barbof. *J. E. V. part. 2. lib. 2. cap. 2. num. 50.* Pannorm. *ad b. t. num. 8.*

Altaria tunc nova consecratione indigent, quando vel loco mota fuerint, aut lapis ille solummodo supra positus, qui sigillum continet, contractus, aut etiam deminutus. *cap. 1. b. t.* Vide de hoc plura apud laudatum Pax Jordan *d. tit. num. 45. & seqq.*

## §. II.

## De Pollutione, &amp; Reconciliatione Ecclesiarum.

## SUMMARI A.

15. Triplici modo Ecclesiam pollui contingit. 16. Quomodo per sanguinis effusionem polluitur? 17. 18. 19. 20. Subjunguntur quatuor Corollaria. 21. Ex homicidio voluntario etiam citra Sanguinis effusionem Ecclesia polluitur. 22. Quomodo per seminis effusionem polluitur? 23. Effectus hujus pollutionis recensentur. 24. Per quem Ecclesia polluta reconciliari debeat?

15 **E**cclēsia tribus præcipuè modis pollui dicitur I. injuriosa humani sanguinis effusione. II. Voluntaria seminis emissionē. III. Sepultura cadaveris pagani, vel excommunicati *cap. 4. 7. 9. & 10. b. t.* priores duo modi culpam supponunt, non tertius, ubi solum factum ad execrationem sufficit, sepultura scilicet excommunicati, vel infidelis. Layman. *Theol. Moral. lib. 5. cap. 5. num. 8.* requiritur tamen post Concilium Constantiense, ut aliquis nominatim sit excommunicatus, denunciatus, aut notorius Clerici percussor. Interdictus vero personaliter, licet in loco sacro sepeliri non debeat, *cap. 20. de Sent. Excomm. in 6.* Ecclesia tamen per hujusmodi hominis sepulturam probabilius non violatur. Layman. *diſt. loc. Zoësius b. t. num. 11.*

16 Quæres I. quid requiratur, ut per sanguinis effusionem Ecclesia polluta

dicatur? Resp. debere esse injuriosam, notoriam, intra Ecclesiam, & copiosam, seu in quantitate notabili. Pax Jordan *tit. 11. num. 6.* Hinc

Sequitur I. si casu contingat, ut lapides, ligna, aut alia similia de parietibus, vel fornice decidua homines in Ecclesia obterant, aut cum profluvio sanguinis vulnerent, Ecclesiam non pollui, quia deficit injuria. Ex quo capite etiam is, qui alterum in Ecclesia occidit causa defensionis, & servato moderamine inculpata Tutelæ, Ecclesie pollutionem non procurat, sicut nec furiosus, infans, dormiens, & hujusmodi.

Sequitur II. Per Sanguinis effusionem occultam, cujus scilicet nemo alius notitiam habet, aut, si qui habent, illi pauci sint, & non revelent, Ecclesiam non pollui, aut saltem pollutionis effectum, de quo infra, non produci usque ad manifestationem.

Se-

19 Sequitur III. Sanguinis effusionem, quæ fit in Sacrilia, turri, campanili, cryptis, aut aliis locis contiguis Ecclesiæ, eandem non polluere, quia termini in hac materia pœnali strictè accipiendi, & consequenter, cum Textus allegati loquantur de Sanguinis effusione, quæ fit *intra Ecclesiam*, ad loca exteriora extendendi non sunt.

20 Sequitur IV. Ex modica stillatione Sanguinis, quanquam per injuriam elicitâ, Ecclesiam non pollui, sed debere esse largam, & copiosam, quia Textus mentionem *effusionis* facit, quod copiosam Sanguinis effusionem denotat. Illa Sanguinis effusio, tametsi larga, quæ per nares, vel ab ore naturaliter fit, vel etiam per venæ Sectionem, quam ex causa instantis necessitatis, v. g. apoplexiæ etiam *intra Ecclesiam* chirurgus facit, Ecclesiam non polluit. De his omnibus vide copiosius tractantem Pax Jordan *tom. 1. d. lib. 5. tit. 12.*

21 Ecclesia quoque pollui dicitur per homicidium injuriosum, & *voluntarium*, etsi absque Sanguinis effusione, puta suspendio, aut suffocatione contingat. Gloss. in *cap. un. h. tit. in 6.* & colligitur ex *cap. 4. h. t.* non vero *casuale*, aut quod ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelæ fit, quia nulla exinde Ecclesiæ infertur injuria. Quodsi cædes fiat autoritate publica Magistratus in Ecclesia, licet mors ista intuitu præcise hominis criminosi injuriosa non sit, est tamen injuriosa intuitu Ecclesiæ, & illicita ratione loci sacri. Zoëf. *h. t. num. 5.* Pax Jordan *cit. tit. n. 10.* Idem est de Martyre in Ecclesia occiso, quanquam enim pretiosa in conspectu

DEI sit passio & mors Sanctorum Martyrum, quorum Sanguis Ecclesias per se ornat potius, quam polluit, injuriosa tamen & sacrilega est occidentis actio, & sceleratius est, sanctum interficere, quam injustum. Pax Jordan *dist. loc. num. 8.* Azor *part. 2. lib. 9. cap. 5. quest. 1.* & alii communiter.

Ut Ecclesia per seminis effusionem 22 polluat, eadem conditiones, quas superius adduximus, intervenire debent, adeoque debet esse peccaminosa, & voluntaria, notoria, ac cum injuria loci sacri facta, secus Ecclesia non violatur. Sed de hoc consule sæpius laudatum Pax Jordan *d. t. à num. 101. usque ad num. 114.* Quomodo per humationem & sepulturam hæretici, Judæi, excommunicati &c. locus sacer profanetur, idem Author à *n. 117. usque ad num. 131.* fufius prosequitur, & nos jam aliqua ad *tit. de Sepult.* diximus.

Effectus hujus violationis in eo 23 consistit, quod in simili Ecclesia sacra, & Divina fieri non possint, usquedum ab Episcopo talis Ecclesia per aquam cum vino & cinere solenniter benedictam reconcilietur. *cap. 4. 7. § 9. h. t. cap. un. Eod. in 6. cap. 19. § 20. de Consecr. dist. 1.* Neque tamen legens ibidem Missam etiam *si* propterea irregularitatem contrahit, aut Ecclesia interdicitur, licet legentes mortaliter peccent. Gonzalez ad *cap. 7. h. t. num. 9.* & colligitur clare ex *cap. 18. de Sentent. excom.* Navarrus in *Manual. cap. 27. n. 176.* cum Zerol. in *prax. Episc. part. 1. V. pollutio quest. 4.* solam etiam Missam, non vero Concionem, & similia prohibita notat, uti nec collationem Baptis-

ptismi, si Ecclesia fuerit Baptismalis, cum etiam in loco interdicto permiffa fit. *cap. fin. de Sent. Excommun. in 6. Pax Jordan d. tit. num. 139. Van-Espen part. 2. tit. 16. cap. 4.*

24 Quæres II. Per quem Ecclesia polluta reconciliari debeat? Resp. si solenniter fuit consecrata, reconciliationem fieri debere per Episcopum Ordinarium *cap. 9. h. t. nec alteri inferiori Sacerdoti sive per delegationem sive per consuetudinem hanc facultatem acquiri posse, cum sit actus jurisdictionis, & Ordinis Episcopalis d. cap. 9. Pax Jordan d. l. num. 158. Van-Espen*

*d. cap. num. 21. § 23. ubi aliam rationem assignat. Sin vero Ecclesia nondum consecrata, sed tantum auctoritate Episcopi ædificata modis supra memoratis violata fuerit, probabiliter etiam à simplici Sacerdote per solam aquam benedictam reconciliari poterit. arg. cap. fin. h. t. ubi talis Ecclesia tantum aqua exorcizata lavari jubetur sine mentione salis & vini, vel Episcopi. Navarr. h. t. Consil. 1. num. 2. Pannorm. ad cap. fin. h. t. Hæc, quæ hætenus de Ecclesiis dicta sunt, etiam de Cæmeteriis intelligenda veniunt. Pax Jordan d. loc. num. 165.*

## TITULUS XLI.

### *De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officiis.*

**P**Ræcipuus Liturgiæ actus in Ecclesia nostra est Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & admirabile Eucharistiæ Sacramentum. S. Ambrosius *Epist. 33. ad Marcellam* S. Augustinus *Serm. 251. de Tempor.* Quapropter, cum in *tit. præced. de Ecclesiis, & Altaribus* egerimus, quatenus utraque eum in finem consecrantur, ut Divina hæc Mysteria summa Religione tractentur; idcirco convenienti Ordine de SS. Missæ Sacrificio sub præsentis Rubricæ Canonica dispectio suscipitur. Nos pauca duntaxat grana de Augustissimi hujus Mysterii copioso acervo è principalioribus præsentis Tituli capitulis collecta exponemus, cætera ad forum Theologicum remittentes. In fine hæreticorum errores, quos Boehmerus cum aliis Sectariis circa hoc punctum fidei propugnat, confutabimus.

§. I.